

Q.K.247.27a



Elegia Funebris
SVPER MORTE
viri amplissimi & prudentissi-

M I F R A N C I S C I S C H R A D E R I,
C O N S V L I S H E L M S T A D I E N S I S : Q V I ,
cum publicis muneribus viginti sex annos summa dexterita-
te præfuisse, ibidem in vera & ardenti Dei inuocatione pla-
cidè obdormiuit , à d. X III. Cal. Sext, Anni C I C I .
L X X I I I : consolationis & gratitudinis ergò scripta , eius-
demq; filio hæredi S T E P H A N O S C H R A D E R O , viro
doctiss. suo olim præceptor , nunc Domino & amico
plurimùm colendo dedicata ,

P E R

HEIMBERTVM OPPECHINVM
G V E L P H I B Y T A N V M .



Henricopoli

EXCVSA PER CONRA-
DVM HORN.

M. D. LXXIII.

ELEGIA FVNEBRIS.



H E V , quām celeri variantur singula
cursu ?
Quām citō dispereunt , quāx bona
mundus amat ?
Difficile est , tantis homines obstare rui-
nis ,
Difficile est , tacito gaudia ferre sinu .
Est leue vita bonum , tota est lacrymabilis ætas ,
Vix ea perpaucos durat ad usq; dies .
Et sibi momenti certò promittere tempus
Nemo potest , nec quod polliceatur habet .
Degimus in lacrymis ipsum , quod degimus , æuum ,
Pondera telluris nil nisi vana sumus .
Principium vitæ secum fert iura doloris ,
Prima dies primi est caussa caputq; mali .
Ingressi mundum grauiter torquemur , & ortus
Aspicimus luctu præueniente diem .
Torquemur , nec enim capiunt mala plurima finem ,
Hic modus , & dudum meta petita cadit .
Plena scatet magnis infantia prima periclis ,
Nec puerो desunt pessima quæq; rudi .
Quæ mala non iuuenis , quæ non mala sustinet æger ?
Quæ mala non ætas sæpe virilis habet ?
Quis senium dicat dubijs non casibus angi ?
Certè hoc cum reliquis fata sinistra premunt .
Cum tamen in primis multūm venerata senectus
Debeat ob longos præmia ferre dies .
Nónne etiam diues sentit sua tormina ? nónne
Quæ doleant itidem sicut egenus habet ?
Quid ? pia defensant an doctūm carmina vatem ?
Non equidem , simili lege ligatus obit .

Mili-

Militiam quasuis si quisquam dixerit horas,
Hunc procul à veri non reor ire scopo.
Cogimur innumerās contra pugnare cohortes,
Militiæ feræ non modus ullus adest.
Vincimus interdum , non raro vincimur ipsi ,
Et similis vitro vitrea turba sumus.
Ille tamen felix , alios qui vincit , & ipsum
Se vinci nulla conditione sinit.
Singula si prudens disponas mente sagaci ,
Quidq; sit hæc hominum massa caduca , roges :
Nudus , inops , fragilis , pauper , miserandus , egenus ,
Occurret , nulla forte beatus , homo.
Et quia se nudum cognoscit , & ardua duræ
Militiæ quæ sint signa mouenda videt ,
Angitur : & nulla coniectus veste , rubescit ,
Deplorans , miseros quos videt esse , dies.
Felicemq; vocat vitam sine labe priorem ,
Qua non regnârit mortis auara manus.
Nec non multoties optat sibi busta parari ,
Emittens querulos ore gemente sonos :
Eheu , cur talem genitrix produxit in auras ?
Cur mihi non matrix contulit ipsa necem ?
Eheu , cur vtero matris subtractus oberro ?
Vbera cur mater præbuit alma mihi ?
Ante mori satiùs natalem namq; fuisset ,
Aut fera cum primo fata videre die.
E terræ factus sum puluere , terra parentis
Materies primi , puluis & ater erat.
Terra meos vtinam iam nunc dissolueret artus ,
Post etenim mortem pulueris instar ero.
Turpia delinquo , quæ non patrare decebat ,
Et mala , me quorum iure puderet , ago.
His offendô Deum , vitæq; animæq; datorem ,
Qui bonus esse mihi propitiusq; negat.

A 2

Alter 2

Altera tristitia succedit causa priori,
Quæ facit ut nemo gaudia læta ferat.
Nimirum vitæ breuitas, spaciumq; dierum
Exiguum, quo nos mors rapit atra procul.
Quid sumus? aut spacio viuendi quale tenemus?
Perbreue, non longum, fabula vana sumus.
Vmbra sumus, glacies sumus, & velut vnda perimus,
Quæ subito cursu non redditura fugit.
Bulla sumus, modico saltem quæ tempore durat,
Ut folium, tollit quod leuis aura, sumus.
Vermiculi sumus, aut si quicquam est vilius ipsis,
Quorum vita breui tollitur æta die.
Nil breuius vitâ, vitâ nil vanius ipsa,
Quæ cunctos nimium præcipitanter agit.
Auolat, haud transit, decurrit fessa. priusquam
Id sentire potes, forma, decusq; perit.
Ut, qui iam multos transegit turpiter annos,
Nesciat, exiguum vixerit anné diem.
Si tibi lustra decem duplicata reduxerit ætas,
Tempore quæ nostro rarer esse solet,
Aufer, quas mortis mysteria parua tulerunt,
Noctes, vix medium vita peracta capit.
Ultimus aspicitur saltem, primusq; dierum,
In quibus est vitæ iustitiæq; modus.
Huius qui placide est ingressus limina vitæ,
Et potuit tandem claudere fine bono:
Ille beatus erit, luctuq; remotus ab omni,
Et par cœlicolis regna beata colet.

At quas non infert homini Dea lubrica clades?
Quæ mala non secum ducere cæca solet?
Passibus ambiguis ea dum male fida pererrat,
Et nequit immotum fixa tenere pedem,
Singula peruerit, conturbat singula, nostræ
Gaudia ne menti conciliata ferant.
Lætitiam miscet luctu, lacrymisq; remotis
Efficit ut latus, tristior antè, canat.

Dejcit

Deijcit inflatos alta de sede potentes,
Depressumq; nimis ducit ad alta caput.
Nunc fit debilior sanus , nunc ordine verso
Debilis ad robur corporis omne redit.
Qui sibi diuitias & opes cumulauerat , idem
Vix vbi respicias pauper , inopsq; dolet.
Hic in honore suum transegerat impiger æuum ,
Nunc miser , & nullo clarus honore iacet.
Viuimus , & multos numeramus in ordine soles ,
Ignari quidnám vespera sera vehat.
Sic Dea cæca vices variat , sic tempora mutat ,
Sic excelsa premit , sic minus alta leuat.
Hic furor , hæc rabies , hic tam variabilis ordo
Principium primo de genitore trahit.
Qui nisi supremi violasset iussa parentis ,
Vna salus viuis , & foret vna quies.
Vna quies , pax vna foret , labor vnuſ & idem ,
Aeternum votis concelebrare D E V M .
Nunc auersa quies , nunc pax auersa , sed vnuſ
Est labor , in vitijs sollicitare Deum.
Hinc verè dici poterat , vereq; rogari :
Turpis Adame veni , cur fugitiue lates ?
Hei mihi qualis eras , quantum mutatus ab illo ,
Qui fueras quondam par pietate Deo ?
Nunc vbi conditio prior est ? vbi mentis imago
Diuinæ ? virtus est vbi quæſo prior ?
Quô vigor ingenij ? quô gloria prima receſſit ?
Quô decus eximium ? quô fine labe nitor ?
Scilicet hoc lapsus tuus , hoc peruersa voluntas ,
Hoc meruit crimen , vir malè caute , tuum.
Sic Paradisiacis electus finibus errat ,
Quem terræ Dominum fecerat antè D E V S .

Mors etiam solitum præſens feruare tenorem ,
Nec tolerare diu gaudia nostra folet.

A 3

Opprimit



Opprimit incautos nequicquam sœua timentes
Spicula , non meritos opprimit atra viros.
Nulla subest ratio personæ , nulla bonorum ,
Nulla iuuentutis , nulla decoris adest.
Omnia summoto quo quis discrimine tollit ,
Quilibet immiti falce peremptus obit.
Nullum diuitiæ , nec prædia multa tuentur ,
Nec tutum quenquam Persica gaza facit.
Nullum pauperies , aut factum marmore limen
Protegit , hac tolli mors ratione nequit.
Non anni iuuenem pauci , non multa senectam
Secula , non cani , non coma pulcra iuant.
Cum fene mors iuuenem , cum diuite tollit egenum ,
Parcere vel puero , cum venit ipsa , negat.
Lance pari vulgus solet assimilare dynastis ,
Abripit hos , quorum plurimus usus erat.
Hoc exempla probant , hoc experientia monstrat ,
Hoc dolor , hoc multos fors inimica docet.
Hei mihi , si prijmae numeres ab origine gentis ,
Et veterum cures nunc monumenta legi ;
Sæpius incautos , & nil sibi tale timentes ,
Ante diem videoas occubuisse viros.
Sed veterum non est quod quis monumenta reuoluat ,
Exemplo præsens cum queat esse dies.
Occidit , heu , nondum maturâ morte **S C H R A D E R V S** ,
Qui de F R A N C I S C I nomine dictus erat.
Occidit immiti Parcarum falce peremptus ,
Qui patriâ summus Rector in vrbe fuit:
Illiis ô quoties Respublica læsa probauit
Auxilium , quoties sensit onusta fidem.
Pondera sustinuit multarum maxima rerum ,
Totiusq; fuit fida columna domus.
Nunc iacet , & supereft tanti non corporis vmbra ,
Cuncta capit digitis vrna leuanda tribus.
Ista sequi tales debebant præmia , quorum
Non pietas , non est cognita certa fides.

Sed

Sed pereunt iusti , seruatur turba malorum ,
Telluremque velut pondus inane premit.
Tota verecundum monstrauit vita , piumque ,
Tota decens , nec non tota pudica fuit.
Nam quae non puer , quae primae dona iuuentae ,
Vel quae non dederat prona Minerua seni ?
Singula quae mores laudant , vitamque probatam
Efficiunt , ipsi contulit vna dies.
Vna dies , lucis quam primum vedit honorem ,
Editus in mundum de genitrice puer.
Et meritò : casti quia sic meruere parentes ,
Quorum vita pijs omnibus æqua fuit.
Post ea crescentem quosuis aptauit ad usus ,
Et dedit ingenij , iudicijque decus.
Non igitur studio tempus consumfit inani ,
Sæpius ut nimium stulta iuuenta facit :
Sed fuit in primis veræ pietatis amator ,
Et sanctâ coluit Numinia sancta fide.
Addidicitque puer cœlestis semina verbi ,
Quo sine non requies , non venit vlla salus.
Nec minus ingenuas animum deduxit ad artes ,
Conditio quantum temporis illa tulit.
Sed fortuna , vices quae cunctas mutat in horas ,
Noluit hunc studijs cœca vacare diu.
Inuitumque pio iuuenem desistere cœpto
Impulit , ac lituos , militiamque sequi.
Hinc se nobilibus iunxit , qui nomina auito
A Velthaimorum sanguine clara tenent.
Cum quibus est regis Danorum castra secutus ,
Splendidus ære , pius pectore , Marte ferox.
Hei mihi quot clades sensit ? quot vulnera stricto
Sæpius aspexit militis ense dari ?
Ancipites vero casus cum sæpe tulisset ,
Plurima perpessus , quae dare bella solent :
Efferat pacatis animis Bellona quieuit ,
Et siluit tandem , Marte iubente , furor.

Hinc



Hinc se cum reliquis patrias conuertit in oras,
Et statuit signis militiae modum.
Nec tamen hic reducem Dea tutum Cypria liquit,
Aspera quae iuuenum corda ferire solet:
Sed volucri leuibus verbis persuasit Amori,
Vulnus ut in reducis pectus inerme daret.
Nec mora: continuo pharetras eduxit, & ingens
Vulnus in incauti pectore fecit Amor.
Ostendensque simul formam praestante puellam,
Hac tibi ducetur, dixit, amica domum.
Annuit: Ostrodi natamque e sanguine duxit,
Et coluit casti foedera casta tori.
Nec fuit infelix talis coniunctio: natis
Quatuor est etenim factus yterque parens.
Ex quibus, heu, STEPHANVS tantum per fata remansit,
Priuauit reliquos lucis honore DEVIS.
Cætera talis erat, quam cuncti, vita, probarent,
Pulcra, modesta, decens, casta, pudica, grauis.
Moribus aucta bonis, in rebus dextra gerendis,
Iudicium praestans, indubitata fides.
Publica quin etiam tractare negotia coepit,
Ardua si quædam res peragenda fuit.
Consule nimirum socero per funera rapto,
Cum reliquis factus quando Senator erat.
Munere quo fungens duo tandem lustra peregit,
Contentus sortis conditione suæ.
Nec satiis hoc: verum toto statuente, senatu,
Ornatus titulo consulis inde fuit.
Non quod diuinijs tantum, nummisque valeret,
Quos hominum vulgus Numinis instar habet:
Sed quia iudicio nec erat præstantior alter,
Munere nec tanto dignior alter erat.
Hunc quanquam inuitus primum suscepit honorem,
Suscepit patriæ motus amore domus.
Quem magis ipsa iuant priuatæ commoda vitæ,
Quam patriæ subito corruitura salus:

Is bonus



Is bonus esse nequit : vel si bonus esse putetur ,
Attamen iniuste creditur esse bonus.
Et quia iudicium sacri sine Numinis igne
Labitur interdum , nec sibi constat idem :
Semper ab ætherei metuebat iudicis irâ ,
Quâ fremit aduersum facta nefanda DEVS.
Manè suum Domino cursum mandare solebat ,
Ipsiusr̄ regi cuncta petebat ope.
Ne Stygij forsan seductus fraude tyranni ,
Iustitiae sanctum transgrederetur opus.
Nec petij frustra : siquidem miseratus olympo
Audijt omnipotens vota , precesq; Deus.
Felicemq; suo protectum Numinē fecit ,
Et dedit optatâ conditione frui.
Ingenium solers , animosum pectus habebat ,
Quale pij pectus consulis esse decet.
Thuricremis summos aris tribuebat honores ,
Detestans falsos , Numinā vana , Deos.
Iusta ministerio reddebat præmia , iustas
Hoc donante sacer præco ferebat opes.
Non hominem , quicquam blasphemâ voce loquentem ,
Casta suæ voluit tecta subire domus.
Mendaces linguas , & inani turgida fastu
Pectora abhorrebat ceu Phlegethontis aquas.
Econtra facili veraces mente colebat ,
Demissisq; patris cordibus instar erat.
Non traducebat vano sua tempora luxu ,
Nec piger ignavi ventris alebat onus :
Sed totam positis ornabat legibus urbem ,
Cum quibus imperij statq; , caditq; decus.
Nec præscribebat populo duntaxat habendas ,
Sed quoq; parebat legibus ipse datis.
Quin pia tranquillæ seruabat tempora pacis ,
Nam melius nullum pace putabat opus.
Et quia mortalem se nouerat esse , siuosq;
Lapsuros tandem per fera fata dies :

B

Sic



Sic bona præsentis curabat languida vitæ,
 Vt quæ perpetuò non retinenda forent.
Non aliena suis iungebat commoda rebus,
 Alterius damno nec cumulabat opes.
Non ventosus erat, non sordidus Euclio, turpi
 Lucra parans quæstu, non sceleratus erat:
Sed bonus, inq̄ bonos bona multa locare paratus,
 Difficilis nulli, at largus, apertus erat.
Candor erat factis coniunctus, conscientia recti
 Mens erat, in verbis cum grauitate lepor.
Cōmis erat, misero nec non affabilis omni,
 Præsertim duro tempore cōmis erat.
Deniq̄, quò breuibus concludam singula verbis,
 Omnibus exemplo ciuibus vrbis erat.
Sic tria lustra senex, vnâ cum messe peregit,
 Munera proficiens Consule digna viro.
Donec ad extremum per fata suprema vocatus,
 Depositum Domino reddidit omne Deo.
Inq̄ beatorum sedes super astra migrauit,
 Dependens Christi totus ab ore sui.
Ergo viri gelido sublati funere casum
 Vrbs querulis luget despoliata modis.
Vrbs spoliata dole, fletu testante dolore,
 Et querere abreptum per fera fata senem.
Curia mœsta dole, iustasq̄ effunde querelas,
 Prima columna perit, curia mœsta dolc.
Mœsta dole, decus omne tuum cum funere mœsto
 Tollitur, & restat gloria nulla tibi.
Mœsta theatra pij dum quæritis ora parentis,
 Ornatu posito, fata dolete viri.
Non supereft etenim quem quæritis anxia mundo,
 Non supereft, mundum liquit, & interijt.
Mœste seni mœstas lacrymas largire Senatus,
 Vir fuit emeritus, dignus honore senex.
Ciuica turba dole: doleat quicunq̄ mereri
 Hunc malè de seſe non potuisse refert.

Consulis



Consulis heu frustra sublati curris ad ædes,
En ibi , qui multis profuit antè , iacet.
Non hīc consilium , non hīc solamen habebis ,
En iacet , & nullus sustinet ossa calor.
Sed tibi , quæ pullo velamine tecta , peremti
Coniugis ah nimiūm funera mœsta doles ,
Quid referam ? tuus est , tuus est honor omnis ademtus ,
Et restant viduo gaudia nulla toro.
Mœsta sedens mœstis imples clamoribus auras ,
Et gemis amissi comparis ora tui.
Mœsta sedes , lacrymisq; tuum testata dolorem ,
Mœsta tibi pariter busta subesse cupis.
Omnis amara tibi lux est , tibi tempus amarum ,
Omnis amara dies , omnis amara domus.
Vel quæ Natae tibi referam ? dum patris amore
Deuictus , carā cum genitrice doles.
Quæ referam ? iubeámne queri ? solabor amicum ,
Non lacrymis fletus addere velle decet.
Solabor : faciens sinceri munus amici ,
Ludrica non tali tempore facta iuuant.
Et decet , & rectum est fletu miscere dolorem ,
Si quem Parcarum numina dura necant.
Hoc Deus , hoc ratio , mens hoc demandat honesta ,
Hoc amor , hoc pietas , hoc honor ipse iubet.
Affore præsertim si publica damna videntur ,
Illiis ex fato , quem tulit atra dies.
Sed tamen in luctu finis statuatur oportet ,
Dedecet in lacrymis ponere nolle modum.
Dedecet , & non est Christi res digna redemptis
Sanguine , magnanimum dedecet ista virum.
Ethnicus hic dolor est , animis de corpore raptis
Nullibi qui statuunt amplius esse locum.
Ethnicus hic dolor est , hunc tu depone dolorem ,
Quem Christi lotum sanguine vita manet.
Omnia consilio celsi sunt facta parentis ,
E cuius nostra est vita petenda manu.

Hic dedit, hic vitam nullo prohibente reposcit,
In nostros summum ius habet ille dies.
Non minimus nostro recidit de vertice crinis,
Quin tantum Domino sic statuente cadat.
Nec tamen indicium mors est statuenda furoris,
Cum tantum extremæ sit bonitatis opus.
Deprimit, vt releuet D e v s , & nos morte fatigat,
Vt reddat vitæ gaudia vera nouæ.
Destruit hoc fœdo fabrefactum stercore corpus,
Et facit vt cultu splendidiore micet.
Sæpe malis premimur miseri, sors aspera sæpe est,
Sæpe venit letho durior vna dies.
Quid tum? ferre decet: meriti sumus omnia: mortem,
Dæmonis insidias, spicula, tela, faces.
Murinura sed D Ominum contra ne sœua retorque,
Quæ venit ex merito pœna ferenda venit.
Profuit ipsius forsan lux ista saluti,
Quâ spacium vitæ finijt omne suæ.
Profuit: hinc Domino metam ponente recessit,
Et dedit in duro membra locanda solo.
Nec tamen æternum tumulo peritura cubabunt
Offa pij, vitâ non redeunte, senis:
Rauca sed horribili cum buccina voce sonabit,
Edet & hos iudex: Surge, resurge, sonos:
Et tumbi latebris deuictâ morte resurget,
Prodibitq; nouus, numine plenus, homo.
Prodibit, non iam morbis, velut antè, premendus,
Nec gelidâ rursum contumulandus humo:
Sed qui coelestis capiat sacra munera vitæ,
Quam non fine dato terminet vlla dies.
Hic cum cœlicolis alti fastigia Cœli
Incolet, Angelico par in honore gregi.
Nunc lacrymis finem statuit, finemq; dolori,
Lætitiam celebrans, cor moderante, Deum.
Sordida fallacis contemnens gaudia mundi,
Aspicit æthereæ splendida tecta domus.

Quis-



Quisquis es , immensum cui mors tulit ista dolorem ,
Hæc animo memori te reputare velim .
Non moritur , si quis vitâ defunctus inani ,
In vero claudit fata timore Dei .
Non moritur : curâ sed tantùm liber ab omni
Optato modicûm membra sopore leuat ,
Vt sibi promissos pòst indefessus honores ,
Et vitæ tollat gaudia mille nouæ .
Hanc habet , hanc lætus cum sancto possidet omni ,
Atq; premi variâ postmodo sorte nequit .
Aspera mortales equidem fortuna fatigat ,
At nihil in sanctos lubrica iuris habet .
Frangitur , & mœsto pariter cum funere cessat ,
Omni sorte , pijs vita futura , caret .
Non ibi pauperies , non mors , non terror & horror ,
Non ibi tristitiæ regnat amara lues :
Non furor in nostros grassantis Dæmonis artus ,
Non sitis , aut stomacho non satiæ æqua fames .
Non æstus , non bruma ferox , corruptio nulla ,
Non dolor , aut rabies , fraus inimica procul .
Sed pax , vita , salus , bonitas , miseratio , virtus ,
Gloria lætitiæ iuncta perennis , honor .
Verus amor , perfecta fides , spes nulla , metusúe ,
Diuitiæ , probitas , fons fine fine , nitor .
Præmia virtuti tribuuntur honesta , per ipsum
A quo vita pijs , & decus omne venit .
Deniq; tamen claris opibus status iste redundat ,
Vt queat humano non satiæ ore cani .
Nos per transennam veluti pro parte videmus ,
Gaudia sint illo quanta futura loco .
Sed quam plena bonis , quam maiestatis abundans
Vita sit , è nobis dicere nemo potest .
At mundus contrà solamina vera recusat ,
Turbibus , inflatus , pronus ad omne malum .
Insidijs plenus , fallax , improvidus , amens ,
Horridus , infidus , fraude refertus , iners .

, Felix infidum potuit qui linquere mundum,
,, Et vitæ amplecti liberoris iter.
,, Felix qui potuit post tot sine fine labores,
,, Lætus ad extremum dicere : Munde vale.
,, Munde vale : satis est , satis est quod ferre decebat,
,, Quem turbes alium querito : Munde vale.
,, Ad requiem propero defessus , membra reponam
,, Aegra nimis : Satis est , ad requiem propero.
,, Summa mihi patriæ sunt culmina visa beatæ,
,, Ad requiem propero : Munde maligne vale.
Vocibus his usus mundum , vitamq; reliquit ,
Et petijt nitidæ celsa theatra domus.
Insuper & vultu Christi , facieq; benigna
Cœpit apud Superos post fera fata frui.
Hæret in ipsius gremio : pia basia sumit :
Confossi lateris stigmata sœua videt :
In cruce distentas pro se quoq; conspicit vlnas,
Fœdatusq; manus sanguine lætus habet.
Ergo quid extinctum defletis funus amici ?
Cur dolor in tantum pectora vestra fodit.
Ne lugete virum , ne ne lugete peremptum ,
Ne subeat tantus pectora mœsta dolor.
Viuit , & extinctus non est , super astra migravit ,
Cum Christo cœli gaudia fratre tenet.
Hunc videt , hunc laudat , fratremq; , Deumq; salutat ,
Hunc colit , hunc celebrat , prædicat , orat , habet.
Felix sancte senex , felix dum talia cernis ,
Felix dum tali contigit esse loco.
Testis erit Christus , mens non malè conscientia testis ,
Testis erit sancti læta corona chori :
Ipse mori pariter cupio , discedere promptus
Gestio , nec quicquam fata tremenda moror ,
Ut mihi cum Christo contingat ducere vitam ,
Quæ nullo est unquam corruita die.
Innumeros præstat tandem finire labores ,
Conducit modicūm fata sinistra pati:

Ange-

Angelicos taceo concentus , atq; piorum
Iubila , nec dulces h̄ic superaddo sonos .
Suauiter excipiunt venientem : fausta precantur :
Deq; salutari multa quiete ferunt .
Mellifluas promunt voces , laudantq; , canuntq;
Ore pio celsi facta stupenda Dei .
Obseruant nutum Christi : data iussa capeſſunt :
Ad genus humanum nuncia grata ferunt :
Tutantur miseros per multa pericla ruentes ,
Robore defendunt , confilioq; iuuant .
Bella gerunt : vires Satanæ ad Phlegethonta retrudunt ,
Inferat hic timido ne mala damna gregi .
HIS veteres aſtant , & conglomerantur amici ,
Agnati , Proaui ; cum genitrice pater .
Occursant : tantum l̄eti gratantur honorem ,
Excipiunt , iterant oscula : l̄eta canunt .
His , quam præmisit , soboles ſe iungit , & omnem
Lætitia complet non pereunte locum .
Exultat : geſtit : viſo de patre triumphat :
Excipit : applaudit : quem veneretur habet .
Cor falit : arridet mens hospite l̄eta recenti ,
Seq; patri totam tradere pœne cupit .
Incepit , & tenerum modulatur pectore carmen ,
Lætitiae , atq; animi grata probantis opus :
Sancte pater , venerande pater , pater optime ſalue ,
Salue in perpetuos non moriture dics .
Sancte pater ſalue , celsi nouus incola cœli ,
Viue diu , damni fit modus ifte tui .
Vicisti tandem , vicisti plauftra dolorum ,
Quos nimium fallax orbis habere folet .
Vicisti , validaq; manu , zeloq; potenti ,
Ergo victoris præmia victor habe .
En prostratus honor mundi , prostrata potestas
Concidit ante tuos , plena pudore , pedes .
Mors deuicta iacet ſqualenti pallida vultu ,
Et nihil illius ſpicula fellis habent .

Lurida



Ze 3500

XII.07.189

Lurida porta iacet, Plutonia regna furoris
In te non poterunt signa mouere sui.
Efferat Tartarei vis est conuulsa latronis,
Exitio perijt dira Medusa graui.
Cerberus inualido caudam sub ventre recondit,
Et fremitu modicūm proficiente tumet.
Vicisti mundum, vicisti funeris horam,
Vicisti Satanæ, cum Phlegethone, dolos.
Quod restat, capiti sanctam superadde coronam,
Quam tibi iustitiae Rexq; Deusq; dabit.
Nunc tibi pacis opes, nunc vasti regia Cœli,
Nunc requies Christi sanguine parta patet.
Ingredere æternos hinc non remouende per annos,
Nobiscum Cœli gaudia victor habe.

Beati mortui, qui in Do=
mino moriun=
tur.


m.c.



Farkarte #13

B.I.G.

Black	
3/Color	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	



Funebris

MORTE
i & prudentissi-

CI SCHRAADERI,
STADIENSIS: QVI,
ginti sex annos summa dexterita-
ta & ardenti Dei inuocatione pla-
II. Cal. Sext. Anni CIC. CI.
& gratitudinis ergò scripta, eius-
HANO SCHRAADERO, viro
cori, nunc Domino & amico
colendo dedicata,

PER
M OPPECHINUM
HIBYTANVM.

ricopoli

PER CONRA-
HORN.

LXXXIII.

